



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 13. Concilium Senonensis provinciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

adhortamur vos & obsecramus, ut con-
 veniendo Lugdunum, ac necessarium Ec-
 clesiæ caput velociter cooptando mala
 tam gravia præveniatis.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1314.

§. XIII.

Concilium Senonensis provinciæ.

Philippus Marenniensis frater Engeran-
 di Longavillani Comitis Regi Philip-
 po Pulchro gratissimi, a mense Aprili an-
 ni 1310 Senonum Archiepiscopus hoc
 anno 1314 die Martis ante translationem
 S. Nicolai, nempe septimo Maji diebus-
 que sequentibus concilium provinciale
 Parisiis celebravit. Ibi tres edebantur
 canones, quorum hæc erat summa. Ro-
 gatu Concilii statuimus, ut provinciæ
 nostræ Parochi Clericos intra spatium
 suarum parœciarum detentos propriis lo-
 corum Episcopis sine mora restitui cu-
 rent. Nisi confestim pareant, qui eos
 detinent, Parochi illos anathemate de-
 vincitos denuncient, & ab omnibus vi-
 tari jubeant, donec illi a propriis loco-
 rum Episcopis absoluti fuerint. Gene-
 rales citationes illorum omnium, quos ta-
 bellarius indicat, nostra in provincia non
 habeant locum, neque concedantur in
 posterum. Ob communionem cum pro-
 scriptis habitam nemo sine prævia moni-
 tione citetur: nec citationem quisquam
 obti-

to. II. conc.
 p. 1602.

art. 1.

a. 2.

a. 3.

Sæcul. XIV.
A.C. 1314.

obtineat, antequam juraverit se credere, citandum cum proscripto societatem habuisse scienter ac in casibus, in quibus eam Jus non permittat. Vide, quales tunc res tractaverint Concilia!

§. XIV.

Provinciae Ravennensis concilium.

Eodem anno 10 Octobris Raynaldus Ravennæ Archiepiscopus in castro Argentano suum tertium concilium habuit, cui intererant Fori Cornelii seu Imolæ, Comacini, Fori Popilii, Faventia, Cæsena, ac Cervia Episcopi sex omnino cum Oratoribus Episcoporum Bononia, Adriæ, Rhegiique, & Collegii Mutinensis vacante sede. Id Concilium canones viginti condidit. En illa, quæ in eis notatu digniora mihi videntur!

n. 3. In Episcopum non consecratur peregrinus aut incognitus, immo ne notus quidem in provincia sine consensu Archiepiscopi & Antistitum provincialium. Nullus Suffraganeus Episcopum inaugurandi causa sine permisso Archiepiscopi exeat e provincia sua: qui contra fecerit, illi non licebit deinceps sacris imbuere quempiam. Exemptos cohortamur, ne Episcopos extraneos aut ignotos

n. 4.

fo. II. p. 1604
1617.